

PRÆFATIO.

De quibus scriptores hæresis; & Irenæus lib. 2.
contra hæreses cap. 19. Tertullianus lib. de præ-
script. cap. 7. Ut jam non dicam de Origene, Iu-
stino Martyre, &c. theologis scholasticis, de qui-
bus nos 1. part. select. disp. tit. de theologia scho-
lastica. Tertullianus in lib de Anima cap. 23. ait,
Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. Ut
vel hinc videoas quâ historiæ philosophicæ & ecclæ-
siasticæ cognitione nonnemo ex Soli-ipsorum &
imaginariæ Pansophiæ familia philosophos (Coloss-
2. vers. 8.) interpretatus sit peripateticos; quippe
quorum philosophia tunc in scholis regnabat. In
In quâ quæso Utopia, bone vir? In Græcia, in Sy-
ria, in Latio, in Iudæa? Longè aliter Melanthon,
aliique commentatores ad locum cit. Et vel le-
ctio istius capitinis, & notæ marginales Belgicæ satis
ostendunt, intelligi philosophos Platonicos, Iudæ-
orum Essæorum magistros. Vide scriptores de
Sectis Iudæorum. Enthusiastis superioris sæculi,
& fratribus roseæ crucis hujus sæculi, ut & Wei-
gelianis (quos Altingius loco cit. adjungit Enthusi-
astis & fratribus Roseæ crucis) & Werdenhagen
Paracelsico-Libertino-Enthusiastæ, hac in parte af-
fines sunt, hodierni aliqui soli-ipsi, qui communem
& receptam in scholis Christianis philosophiam re-
pudiant, Logicam etiam, & Metaphysicam vulga-
rem inutilem proclaimant: ad quas ipsorum moli-
tiones vastitatem, barbariem, schismata in scholis, &
postea in ecclesiis ac politiis securtura (nisi Deus a-
vertat) non vanè metuendum est. Quid sibi velit,